

Concilium Trident.

id, quod diximus, quia cum iuxta Concilium Tridentinum Sessio 24. Cap. 1. de Reformat. Matrim. Sic habetur: Si qua Provincia aliis ultra predictas laudabilibus consuetudinibus & ceremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat: id Rituale pariter observandum vult, ut constat ex Rubrica posita in fine Ritus celebrandi Matrimonium. Quia facultate sibi utendum Ecclesie Hispania consuevit, ut in Appendice habetur pag. 414. Praefatio ergo de Matrimonio non procedit, unde alia etiam circa ipsum aliquatenus diversa in Appendice proponuntur. Quale est illud post consentium coniugum exploratum: Sacerdos ponat manum dexteram sponsi super manum dexteram sponsae, & dicat: Ego vos &c. Sic pag. 420. cum tamen in Rituali pag. 221, sic habeatur: Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, Sacerdos iubeat eos invicem iungere dexteram, dicens: Ego coniungo &c. Et hoc profecto magis iuxta honestatem & decorem apparet; quamvis id quod in Appendice dicitur, ita posuit exponi, ut Sacerdos non debeat sponsam tangere manum, sed sponsi, dum eam manui sponsae superponit. Et sic forte alia. In quo quidem servanda consuetudo, & sic circa Matrimonij ceremonias accipiendum, quod a Concilio est Limentis decretum, ut observari scilicet debeat ad vnguentum Rituale Romanum, nisi ubi illud laudabili dicat standum esse consuetudini.

Assertio 7. Vt nuptiae sine superstitionibus & ebrietatibus celebrentur, cura Parochorum est, & graviter vrgentis

Tob. 6. v. 18.

Continencia Indorum exemplum.

Timor damni an excusante Parochos non impediendes possit.

85 Dico septimo. Parochi Indorum conari debent ne nuptiae ebrietatibus, & superstitionibus ex Gentilitate residuis, celebrentur. Quod enim sanctum est, non debet diabolicis additamentis temerari. Possunt Indi circa praedicta instrui & instructionis ita capaces sunt, ut mirum sit quantum in aliquibus lex continentiae praevaleverit. Inveniunt sunt, qui post nuptialem benedictionem per dies aliquot se continuerint, iuxta Angeli monitum ad Tobiam iuniorum: Per tres dies continens esto, &c. Tobie 6. v. 18. donec Confessarii facultate percepta, ad quem sibi recursum habendum decreverant, ad sobriam illius usum procefferunt. Discant omnia, & quae didicerint moribus expriment, si ab his, ad quos doctrina spectat, ut eorum munus exigit, doceantur. Videantur num. 79. sunt tamen qui se timore damni imminents excusent, quia Indi poculis immerfi, si retrahi ab impotenti huiusmodi voluptate curentur, saevire in sic retrahentes solent: unde & inventus est Parochus, qui coetibus ad crapulam institutis benedictionem daturus accedebat, a conivitis inquitatus: timebat enim ne contra se in furorem acti vterentur. Sed certe ibi multi trepidaverunt timore, ubi non erat timor: id enim contendimus; cura & sollicitudine Parochorum agendum, ne nuptiae ebrietatibus profanentur: quod scilicet ad illas nequaquam veniatur, hortamentis iteratis, comminationibus, & aliis mediis, quae charitas & prudentia dicat. Quod autem ebrietates futurae non sint, non poterit semper humana industria cauere: quia non potest Parochus conivitorum calices ad certum numerum moderari. Ebrietate autem extante, non ideo omnimoda est permittenda licentia, ut ad summum illa se porrigat, & damna extrema subsequantur. In id ergo iuxta virium possibilitatem incumbendum, Dei implorato auxilio, & San-

cti populo Tutelaris. Nec dissidendum quando divinae gloriae causa agitur, eius gratiam desuturam. Quod autem Parochus ille circa mensae benedictionem faciebat, indecorum censebat ipse, sed timori id dabat canis mutas, nec valens latrare, unde & vexilla, quae in processionibus portari solent, sinebat ad epulum popolare deferri. Fateor, si timor grandis mali ex iis erat, qui cadere in virum constantem possunt, exculari a gravi peccato quatenus in mensa assidentes Dei bonis misericorditer collatis fruenterent; non vero ut illi eisdem abuterentur; licet contrarium sibi persuasum haberet: vexilla autem deferri ex titulo aliquo accidere poterat, quia scilicet Festum alicuius Confraternitatis agebatur, non vero in contemptum religionis, quod minime permittendum. Sed raro equidem tale quid accidere potest, ut scilicet timor talis sit, qui Parochum ab officij sui opportuna administratione praepediat. Satius ergo fuisset ut Parochus praedictus, nihil pro Deo aulurus, in domo, aut in cella, sibi vacans tantummodo, resideret. Et haec pro Sacramentis.

CAPUT VII.

Indorum Parochi erga morituros, & mortuos, ut se gerere debeant.

86 Consulenda circa hoc instructio, quae in Rituali Pauli V. habetur, ubi enim luculentum ostenditur quomodo debeant Parochi aegrotantes inuisere, & periclitantibus assistere; quod quidem circa Indos maxime oportet observari. Unde

Dico primo. Parochi Indorum gravissime peccant, si eos morbo periclitantes deserant, Sacramentorum administratione contenti, quando ad id fuerint aduocati. Constat ex gravissimo eorum damnationis aeternae periculo: sunt enim facile mobiles siue ad bonum siue ad malum. Et licet peccare contingat in mortis periculo constitutos, non audent Confessarium accersere, neque obligationis suae plenum conceptum efformant, morbi quatione distenti. Solent etiam inter eos diaboli esse ministri, qui in extremis agentes diabolicam malignitatem pervertunt: & ut ait Concilium Limentense tertium Act. 2. Cap. 42. eorum tanta est nequitia, ut vno die evertant, quid quid a Christi Sacerdotibus per annum edificatur. Quae omnia curam debent Parochorum accendere, cum sit certum animam pro anima, quae perierit, si torpuerint, reddituros. Et quidem cum Doctores communiter affirmant, etiam cum periculo vitae, debere Parochum Paroecianis suis Sacramenta conferre, ne scilicet illi iacturam animarum subeant, talibus destituti subsidiis; satis ex eorum constanti assertione colligitur, Parochos non posse sine grauis criminis reatu illis deesse, qui eorum assistentia indigent, secluso vitae periculo, licet incommodum sint aliquod perpessuri. Quod si nonnulli sunt, qui secus sentiunt, ea certe ratione mouentur, quia vitae tuendae ius naturale est, & charitas in homine incipit a se ipso: supponentes plane obligationem vrgere quando periculum tale non imminet. Pro quo P. Bauny Tomo 1. Tract. 10. Quaesit. 35. sup. ab eo dicitur

Assertio 1. Assistenda periclitantibus gravissimum esse Parochi obligationem.

Concilium Liment. 3.

Ex communi Doctorum sententia cuiusdam argumentum.

87. Dico

Assertio 2. Et absolute illis Indulgentias praefertim Cruciatas.

87 Dico secundum. Sciant Parochi Indorum posse Indos ab eisdem absolvi ab omnibus peccatis iuxta dicta Titulo 12. Cap. 11. & praeterea Indulgentias illis applicandas sunt, quae in Bulla Cruciatas conceduntur: illam enim Indi suis in oppidis residentes communiter sumunt, & aliquando etiam ad fumendum compelluntur: vel si quae alia aliunde habeantur. Et hoc sedulo accurandum est, quia Indi poenitentias impositas obliuioni tradere solent, unde Charitas Pastorem debet impellere, ut grauem satisfactionis sarcinam eo facient remedio leuiorem. Et quidem cum Parochi Indorum eos ordinare ad sumendum Bullam impellant, inhumanum videtur, ut cum illa esse ipsis magis proficua potest, tunc circa illam negligentes habeantur. Unde non immerito affirmari potest eos in hoc grauius peccare, quia Indos ingenti fructu spirituali sua negligentia defraudant, & ingentium poenarum oneri obnoxios relinquunt, a quo eos possunt facile liberare: quod quidem a Pastoris officio maxime alienum esse quis non videat? Et ita etiam in eo plus quam leuem reatum admiserit. Et est illud iuxta communem de charitate doctrinam, ex qua habetur grauius peccare eum, qui damnum graue alicuius non impedit, cum possit sine suo: & in hoc fundatur obligatio fraternae correctionis; quia scilicet debemus proximi malum imminens propulsare. Quod si obligatio ratione officij ulterius accedat, iam non solius charitatis, sed iustitiae etiam negotium agitur. Et tale est officium Parochorum, in quo charitatem & iustitiam conuenit; bene post alios obseruat P. Bauny Quaesit. 35. citata.

Assertio 3. Ex defunctorum Indorum bonis nihil a Parochis usurpandum.

Concilium Liment. 3.

Quinta bonorum pars non debet necessario ab heredibus pro anima defuncti expendi.

Synodus Diocesana Limentis specialibus assignens.

88 Dico tertio. Id quod a Concilio Limentis tertio Act. 2. Cap. 39. circa defunctos Indos decernitur, omnino seruandum est, sic autem habet: ex bonis Indorum, qui decedunt, Parochi partem aliquam nullatenus usurpare praesumant, etiam sub illo praetextu, quod quintam eorum portionem pro defuncti anima erogare velint: sed integrum sit Indis de suis bonis disponere ut ipsis placuerit. Quod si ab intestato decesserint, ad heredes, quid pro anima defuncti erogandum sit declarare pertineat. Haec Concilium. Quae quidem sancte proposita, ne circa hoc Parochi ignorantia laborarent. Sed certe omni tali sanctione seposita, obligatio iustitiae Parochos sub reatu peccati mortalis vrgeret. Nam cum legitimi successores sint per leges constituti, nequit ab illis subtrahi, quod ad ipsos constat pertinere, nisi crimine rapinae commisso. Cumque illi non teneantur quintam hereditatis partem pro anima defuncti expendere, sed tantum ad competentem funeris impensam, ut videri potest apud P. Molinam Disput. 162. s. Quando quis, contra eorum ius aperte sit totum illud expendendo, unde & obligatio restitutionis est clara, iuxta prudentem aetimationem, non enim est ex integro facienda restitutio, quia & heredes competentes debebant funeris expensas facere, & aliqua pro defuncti anima pariter erogare. Circa quod specialius aliquid statuit Synodus Diocesana Limentis Lib. 5. Titulo 2. Cap. 6. quod scilicet si Indi habentes filios dicant ut post mortem suam bona distribuantur pro Missis, Parochi id non faciant, sed tantum quintam partem post soluta debita & legata, & quod secus facientes ad

restitutionem teneantur. Si vero habeant ascendentes, tertiam partem, iuxta leges Regni. Pro quo etiam Synodus Pacensis Lib. 1. Tit. 2. Cap. 13. Et pacensis ubi quod pro intestatis, si Caci quij sint, aut principes, non plures quam quadraginta Missae dicantur. Quod iam Limentis statuerat Lib. 1. Tit. 5. Cap. 19. ubi quod pro pauperibus dicantur quatuor aut sex, & non cantatae. Si quid autem bona fide factum fuerit, restitutionis obligatio cessabit, dummodo Parochus ex dispositis non sit factus locupletior, iuxta communes regulas in materia restitutionis. Et ad hunc modum philosophandum est de aliis, in quibus Parochi nonnulli grauaere conscientias solent ita manifeste, ut non sit opus circa illa quaestiones agitare, sed ut ipsi conscientias reconueniant suas, & grauatias eas deprehentes, conentur Deo & proximis satisfactionem iustam exhibere.

CAPUT VIII.

Quaedam alia pro Indorum Parochis.

89 Dico primo. Parochi Indorum grauius peccant si ad expugnandos Indos proficiscantur. Pro hoc stat Limentis Concilium tertium Act. 2. Cap. 7. sic decernens: nemo ex Clericis, qui doctrinam Indorum praesunt, vel alias circumque agunt, ad bellum contra Indos, aut alias quascumque expeditiones, ut ministeris spiritu alibus milites iuret, proficiscatur, nisi de expressa licentia sui Episcopi. Qui secus fecerit, excommunicatione latae sententiae ipso facto subiacet. Sic Concilium, decisionis suae ratione praemissa, quia in huiusmodi expeditionibus leges solent iustitiae violari, & irreparabilia damna deuictis inferri. Quae quidem ratio omnes tangit. Et ita obligatio ad omnes illos extenditur, qui Concilij legibus non tenentur; licet excommunicatio ad illos, sicut neque ad Religiosos, non extendatur. Secus erit si expeditio sit pro defensione, ut modo accidit respectu Chilenisium, & Calchaquienisium, quorum arma nimis quantum experimur infesta.

Assertio 1. Grauius peccare Parochos ad expugnaciones euntes.

Concilium Liment. 3.

Pena excommunicationis quos tangat.

90 Dico secundum. Parochi Indorum circa praemittendam Confessionem Sacro id praestare debent, quod a Concilio Limentis tertio Act. 2. Cap. 18. illis, & aliis saecularibus Sacerdotibus, ad quos illius iurisdictione protenditur, his praescribitur verbis: Celebraturi Sacerdotes nullatenus sacris vestibus induti peccata confiteantur: sed cum Confessione opus habent, antequam se induant, & quidem genibus pronolui id faciant: nec nisi apud Confessarium ab Ordinario approbatum. Qui aliter vel audierit, vel fecerit confessionem, sciat se & praecipiti reum, & salutarem ei poenitentiam iniungendam. Sic Concilium: cuius sanctionis ratio non vna esse potuit: vel quia id decens non apparet, quod eadem inhibetur: vel quia contingere potest, ut qui sacris vestibus indutus confiteatur, non sit ad absolutionem dispositus, ex quo fiet, ut vel sic celebraturus sit, vel si vestes deponat, id non sine adstantium offensione contingat. Sicut quod Confessiones eo modo factae, celerius quam expediat, fiant. Quin etiam quod Sacerdos vestibus sacris indutus, iam mundus supponitur, unde &

Assertio 2. Circa modum in Confessione tenendum.

Rationes cur Sacerdos sacris vestibus indutus non debent confiteri.

manus antequam se induat lauat in signum exacte munditiae, vt Oratio indicat pro lotionibus Ecclesie instituta. Ad abstergendum omnem maculam, &c. Præterquam quod sacerdos sic indutus Maiestatem quamdam diuinam præsert ob repræsentationem Christi, vnde non est iuxta decorum eius personam Penitentis agere se alteri subiciendo. Quibus etiam addi potest, Confessarium, cum sit iudex, superiorem debere eam in actione videri; quod secus accidit, cum sacerdos dicto modo constituitur. Et cum Concilium nomine præcepti vtatur, manifestum est in transgressione aliquod esse peccatum.

Oppositum non videtur mortale.

Neque in Religiosis etiam veniale.

Approbatum Concilii necessarium.

Quid de Parocho, & Clericis alterius diocesis.

Affertio 3. tabachum ante Missam sumi non potest, sine mortali peccato.

Concil. Lim. 3.

91 Dubitari autem potest an mortale sit, quod videtur materiæ grauitas indicare. Nihilominus contrarium videtur verosimile; quia cum Concilium ad mortale obligare intendit, id solet explicare. Neque indecentia talis est, vt maiorem obligationem arguat: & Sacerdos in ipso celebrationis actu Penitentem agit, dum Confessionem præmittit, & adstantibus se peccatorem profitetur. Et vobis, fratres, &c. & in oblatione hostiæ, Pro innumerabilibus peccatis, & offensibus, & negligentis: sicut & in peculiari pro se oratione: Qui me peccatorem, &c. Pro quo & illud in Canone: Nobis quoque peccatoribus, & sic alibi. Religiosi autem tali præcepto non tenentur, & potest sine peccato aliquo confessio ab indutis fieri, quia antequam se induerant, non habuerunt copiam Confessarij: neque in illis est periculum prædictum de indispositione pro absolutione. Et licet venialia tantum peccata habeant, non absurdè videntur facere, dum ex affectu eximia puritatis procedunt, vt sic dignius sacrificium valeant immolare. Erit autem tunc conueniens, vt non induti Casulâ id faciant: illa enim est singulare indumentum sacerdotis. Quod autem de approbatione Confessarij dicitur, in Consilio Tridentino habetur expressum Sessio 26. Cap. 15. de Reformat. Vnde nec Parochus confiteri non approbato potest, cum neque possit Episcopus sibi non subditum sacerdotem à proprio Ordinario non approbato, eligere, iuxta Cardinalium declarationem, vel Pontificiam potius post factam ab illis relationem, quæ circa citatum Caput habetur ante omnes alias. Post autem Parochum alterius diocesis Parocho confiteri, affirmat Beia Tomo 1. respons. Casu 16. quem sequitur P. Bauny Tomo 1. Tractat. 10. Quest. 11. de Parochis, in principio. Et Quest. 17. Assert. 1. & est valde probabile. An autem simplici sacerdoti in aliâ diocesi approbato, probabile quidem est, sed non vt prius illud: quamuis fundamenta, quæ citati adducunt pro Parochis, id etiam probent de quibuslibet approbatis. Sed quæstiones istæ Parochis omnibus sunt communes.

92 Dico tertio. Parochi Indorum, & est de alijs, sicut & de sacerdotibus non Curatis, nequeunt sine peccato tabachum ante Missam fumere in locis, ad quos Concilij Limesis Decreta perueniunt. Constat ex illius Capite 24. Act. 3. vbi sic dicitur: Prohibetur sub reatu mortis aternæ Presbyteris celebraturis, ne tabachi fumum ore, aut Saryi, seu tabachi puluerem naribus, etiam prætextu medicinae, ante Missæ sacrificium sumant. Sic Concilium tertium: cuius adeo est perspicua mens, vt nequeat circa illam vllatenus dubitari.

Non desuit tamen qui ita censeret, sacerdotem quidem, qui Missam dicere decreuit, non posse tabachum fumere: eum autem, qui celebrare noluisset, animum postea mutat, id posse facere, etiam si tabachum sumpsit ante voluntatis mutationem. Verbum enim illud Celebraturus eam vim habet, vt eos tantum designet, qui propositum habent celebrandi, iuxta participij huiusmodi proprietatem; futurum enim significat, non vt cumque, sed ex animi destinatione: vnde & qui statuit aliquid non facere, dicere absolute potest se id non facturum, & ita Sacerdos: Volo fumere tabachum, quia hodie non sum celebraturus.

Omni incepta conuincitur.

D. August.

93 Sed hac exponendi ratione nihil excogitari ineptius potuit, attentâ Concilij mente, quod totum est in huiusmodi indecentiâ erga Missæ celebrationem submouendâ: & illud aperte militat in casu præsentis. Quemadmodum Ecclesia sumptionem cibi & potus ante Communionem vetuit, indecentiâ habitâ ratione, vt exposuit D. Augustinus Epistol. 112. quæ est ad Ianuarium, sic scribens: Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quam reliqui cibi: nam idè per vniuersum orbem mos ille seruatur. Sic ille. Sicut ergo ineptum esset allerere eum, qui communicare statuit, debere exactum seruare ieiunium; qui autem ieiunium fregit, quia non communicare statuerat, mutatâ voluntate, communicare posse, cum eadem omnino indecentia inueniatur in eo, quam Spiritus sanctus, Ecclesiam in suis legibus dirigens, vitandam voluit: ita est pariter in proposito casu dicendum vbi similibus indecentia a Concilio intenditur remoueri. Neque Grammaticus ille sensus obstat, quando de mente aliâs liquet, & communi omnium ita est vsu comprobatur. Quod similiter circa Decretum Concilij tertij Mexicani dicendum, quod Lib. 3. Titulo 5. §. 13. ita statuit. Præcipitur ne vllus Sacerdos ante Missæ celebrationem, aut quauis alia persona ante Communionem quidquam tabachi per modum fumalis euaporationis, aut quouis modo percipiat. Sic illud. Cuius decernendi modo eadem posset explicatio adhiberi; quia præceptum ponitur de Communionem agenti; ei enim, qui de illâ non agit, constat non imponi: ergo qui non agens sumpsit, si voluntatem mutet, non est à beneficio sacræ Communionis arcendus. Sed futilis est ista subtilitas, & viro cordato prorsus indigna.

Concil. Mexicani.

Non sumant, quod sensum reddat.

Rubrica pro Missæ Natiuitatis Domini.

94 Quod ergo dicitur: Non sumant, non percipiant, idem est quod non sumpserint, non ceperint; quod si sumpserint, aut ceperint, non celebrant. Quemadmodum in Rubricâ, quæ habetur ante primam Missam Natiuitatis Domini, sic dicitur: Sacerdos, quoniam in die Natalis Domini celebrat tres Missas, in primâ, & secundâ Missâ non sumat purificationem, sed in tertiâ Missâ tantum. Vbi verbum Celebrat, licet præsentis sit, significatiuum habet de futuro. Et ita idem est atque: quia celebraturus est. Sicut ergo qui vnam tantum Missam dicere statuit, si purificationem sumpsit, nequit alias celebrare prætextu verbi Non sumat, illud iuxta modum dicendi prætextum exponendo; ita similiter in casu nostro dicendum. Illud enim Non sumat. Sic est exponendum, vt eam vim habeat, si sumpserit, non celebra. Et de illo quidem

quidem, qui non celebrare decreuerat, affirmari absolute poterat esse celebraturus, non solum ab eo, sed ab alijs, quibus potuit reuelare: & sine reuelatione item per moralem certitudinem, vt si celebrare noluit, quia stipendium non suppedit, & accedat, qui illud offerat, aut aliud occurrat, propter quod propositum mutandum esse verosimili ratione credatur. Vnde & iuxta Grammaticæ leges illa est maximè propria significatio, quia de futuro, & per participium ad id designandum, institutum, siue voluntas faciendi sit, siue coactè aut inscienter fiat: vnde & daturus pœnas dicitur, qui nihil minus quam illas affectat, & luiturus corpore, quod deliquit. Et de eo, qui reipsa venit, venturum dicitur, antè quàm voluntatem habeat veniendi, immò & antequam in rerum natura sit, sic iuxta illud Daniel. 9. v. 26. & sanctuarium dissipabit populus cum dace venuro. Quod post Christi mortem impletum. Et id quidem adeo perspicuum est, vt non videatur opera alicuius pretium circa ipsum occupari.

Participium de futuro quam habeat vim.

Præceptum sub mortali obligans imponi potuisse probatur.

Pro eo quid Hispani.

Synodus Canariensis.

95 Præceptum autem dictum sub mortali obligare satis ex ipsius tenore apparet: & potius se ita disponi, pro certo haberi debet; communicæ Doctorum assertionem probatur. Si enim vna panis mica, aut vna aquæ gustula, sumi ante Communionem nequit, & ita potuit Ecclesiæ præcepto constitui, quomodo non etiam statui possit, ne quis ore putido ex tabachi fumo, & substantiâ illâ per nares aut os sordidè & importune deuolutâ, Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, & panem sanctum vitæ æternæ suscipiat? Vnde & similis prohibitio, & quidem cum notabili extensione, vt neque intra Ecclesiam fumatur, pro diocesi Hispanensi, auctoritate Urbani VIII. in Breui speciali, de quo Cardinalis Lugo Dubio 9. infra citando n. 1. & alia Cardinalis Borgiæ, de quâ Thomas Hurtadus Tractat. 11. num. 390. sicut & auctoritate Synodi Canariensis in Constit. de vita & honest. Clericor. Fol. 228. Vbi sub excommunicatione lætæ sententiæ præcipitur, ne Clerici ante Missam, & per duas horas post eam dictum tabachum fumant, & ita obligationem ex præfatis prohibitionibus prouenientem admittit Diana Parte 5. Tractat. 13. Resol. 1. qui & videndus Parte 8. Tract. 7. Resol. 3. & Dianam circa hoc hallucinatum Parte 10. Tract. 16. Resol. 23. licet aliâs multa in fauorem tabachistarum congerat: vbi tamen doctus Pater egregiè hallucinatur: ait enim in fine illius Resol. 1. quod in Partibus, in quibus Concilia id prohibent, ideo forsitan est, quia tabachus tali modo fumitur, vt ad vomitum prouocat. Et illud ait se aperte colligere ex citatâ Constitutione Synodi Canariensis, vbi tabachi sumptio per duas horas à Missa dictâ prohibetur: nam aliâs non prohiberetur post sumptam Eucharistiam: etenim post illam non solum tabachus, sed omnis cibus potest sumi. Sed certè alia est prohibitionum istarum ratio, cum aperitissime constet tabachum vt communitur fumitur ad vomitum non prouocare eos, qui eidem affluenti sunt; & in ordine ad effectum illum, prouocandi scilicet ad vomitum, speciali modo sumi. Quod ergo à Synodo est Canariensis constitutum, ex diuersa sanè intentione processit; vt scilicet Sa-

Theauri Indici Tom. II.

cerdotes à vitiosa consuetudine sumptionis talis arceantur, & decorum suæ dignitatis obseruent, quam dedecere graueolentiam illam humanæ societati intolerandam facis videtur manifestum. Præterquam quod vitium hoc nimis quantum hæret, vt censent multi diabolicum aliquid in sumptione ista interuenire. Pro quo Thomas Hurtadus Tractat. 11. Cap. 1. & Resolut. 1. §. 1. Videatur Cap. Tribus gradibus, de Consecrat. dist. 2. vbi longior abstinentia post Eucharistiæ sumptionem à D. Clemente Papa inuenitur iniuncta.

Cap. Tribus gradibus.

96 Stante autem obligatione generaliter loquendo, de sumptione etiam per nares aut summi aut pulueris accipienda est, quia de illis expressè locutum Concilium; vnde minime audiendus Thomas Hurtadus supra, numer. 188. qui non videtur textum legisse Concilij. In eo etiam non admittendus, quod prohibitiones huiusmodi dicat numer. 165. non extendi ad sumptionem oretenus contingentem, cum scilicet nihil in stomachum traicitur, quod seclusis prohibitionibus peculiaribus, non esse contra ieiunij naturalis legem pro Communionem requisitum. Affirmat Cardinalis Lugo Lib. 1. Responsorum Moralium, Dubio 9. numer. 7. alios secutus, de quibus ibi. Non inquam audiendus, quia, vt vidimus, prohibitio Concilij traiectionem non attendit, sed indecentiam, quam Concilium Mexicanum expressit, & Urbanus Octauus, dum pro Diocesi Hispanensi iubet ne intra Ecclesiam ore aut naribus tabachus fumatur; vbi manifestum est ad ieiunij nequitiam haberi respectum: cuius prohibitionis duo citati Auctores faciunt, sicut & alij, mentionem; & ad intentum nostrum à Cardinali Lugo sapienter obseruatur, numer. 1. Hoc ergo supposito, ad materiæ huius noticiam pleniorrem sint

Etiamsi non traicitur in stomachum, cuius prohibitionem vrgere contra Thom. Hurtadum.

Quid seclusa prohibitionem Concilij.

Dubiorum quorundam circa Tabachum Resolutiones.

97 Primum, An Religiosi dicto Concilij præcepto teneantur. Et teneri quidem duplici ex Capite probari potest. Primo, quia legibus Concilij tenentur, iuxta multorum sententiam, ex quibus sunt P. Vasquez Tomo 2. in 1. 2. Disputat. 167. Cap. 4. vbi de legibus ieiunij specialiter loquitur. Emanuel Rodericus Tomo 1. 99. regul. quest. 66. art. 2. Villalobos Tractat. 2. Difficult. 30. num. 4. Sed quia oppositum est valde probabile, quod inter alios defendit P. Suarez Lib. 4. de Legibus, Cap. 20. de quo & nos supra: ideo ex hac parte nequeunt Religiosi vehementer vrgeri. Secundo, ex eo quod Tabachi sumptione ieiunium naturale frangatur, quod seruari ab omnibus debet Eucharistiæ accepturis. Sed certè si de Tabachi puluere aut succo per nares sumpto, sermo sit, cum id neque comedere, neque bibere sit, parum roboris inde positio dicta desumit. Potest autem aliqua esse difficultas, si in stomachum traicitur. Sed cum sint Auctores id de alijs sic traictis negantes, quia neque comedere, neque bibere est,

Religiosos non tenent ex vi legis, contra alios quos.

An ex frangitione ieiunij naturalis.